



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 32. Tiberii Cincii Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII.
A. C. 1653 cium haberet, simulque acerbissima in Catholicos edicta vinoavit, tantamque potestatem impune exercuit, quantum Angliæ Reges etiamnum sibi polliceri minime audent.

§. XXXII.

Tiberii Cincii Cardinalis obitus.

*Ciacon. in
vita Inno-
centii X.*

Sex omnino ex Cardinalium Collegio hoc anno mortalitatem exuisse constat, quorum primus erat Tiberius Cincius patritius Romanus, qui post primarias in ditone Pontificia Præfecturas summa prudentiæ ac integritatis laude administratas, a Gregorio XV. Æsinam Ecclesiam suscepit regendam, cui etiam per triginta duos annos præfuit, ob pastorem sollicitudinem curæ etis proficuis, suæque in rebus agendis dexteritate, morumque comitate percharus magnique habitus; pari quoque cum applausu civitatem, Domumque Lauretanam annorum spatio quatuordecim administravit, palatioque suis sumptibus ampliato fontem in foro publico præter alia ædificia restauravit: apud Æsinos vero Monasterium Sanctissimæ Annuntiæ, necnon Ecclesias S. Rochi & S. Mariæ de Ulmo ad Suburbium S. Floriani erexit, tandemque ab Innocentio X. cognitis eius cele

celebratisque meritis Romana Purpura Sæc. XVII.
A. C. 1653.
decoratus, octavo post anno in Episcopali suo Palatio die vigesima sexta
Februarii annos natus septuaginta tres
animam Deo reddidit.

§. XXXIII.

Alphonfus Ludovicus du Plessis de Richelieu Cardinalis mortuus.

Iterata in progressu hujus Historiæ *Frizon. Gall.
Purp.
Vittorell. in
addit. ad
Ciaccon.
Sammarth.
Gall. Christ.*
mentio occurrebat Alphonfi Ludovici du Plessis de Richelieu, qui celeberrimi Franciæ Ministri Armandi Richelii Frater natu major præter pluri-
nas, easque sat pingues Præbendas ab Henrico IV. ad Lucionensem Ecclesiam nominatus, relictis omnibus mundi dignitatibus Carthusianorum institutum professus est, ex quo ad Archiepiscopatum Aquensem a Ludovico XIII. Galliarum Rege assumptus, ac postea ad Lugdunensem Ecclesiam evectus, tandem etiam Cardinalium collegio adscribebatur, quamvis Sixti V. decreto duos Germanos Fratres simul Purpura decorari prohibitum esset, id tamen Urbanus VIII. se fecisse testabatur, precibus ejusdem Regis, merito Armandi Cardinalis, & eximia Alphonfi pietate, fidei ac disciplinæ Zelo permotus. Postea pro gravissimis Regni negotiis Romanam